






colorchecker CLASSIC





+





+



+



+




+

x-rite


mm


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
(cm)



SIE MARGVER  
RE Y N E  
DE CO S S E

1490





- Contenu de ce Volume
- 1 la Vie de St. Marguerite reine d'Ecoss
  - 2-5 Pluieures pieces concernant la Translation et l'Intronisation de St. Jean  
- cois de l'ale 169
  - 6 Relatione del padre Hilario Martinj
  - 7 Processi fatti per la Canonizazione d'Alexander Sauli
  - 8 La Conformite de la mette a la grotte du Sauveur
  - 9 Lo studio pænegrifico sacro sopra La S. Sindone
  - 10 De Sacra Sindonorum & felicitate Oratio 1623
  - 11 Discours du R. Chapelain 1672 pour les premiers publicques
  - 12 Calisto des Cardinals au Concile en 1691
  - 13 Relatione della morte di Innocenzo X.
  - 14 Delibro Grotij aduersus Socinum 1617.
  - 15 Lettres du Roi aux princes et etat du R. Empire
  - 16 Libro di Nouelle et di bel parlare Gentile 1572



57399

Si en l'heure d'au matin  
veut le soleil se lever devant lui  
tous s'entra au calabre  
qui fait tout le temps de l'eté  
tous quittent le pays de l'eté  
et vont au pays de l'hiver  
où il fait froid et il fait mal  
et il fait froid et il fait mal  
et il fait froid et il fait mal  
et il fait froid et il fait mal

1572

f.

DE LIBRO  
Clarissimi, Consultiss. & Amplissimi viri,  
**Dn. HVGONIS GROTI.**

Civitatis Rotterodamensis Syndici, &

in Collegio delegatorum ab Illustribus  
Hollandiae & Westfrisiae Ordinibus Senatoris,

15<sup>e</sup>  
15<sup>p</sup>


C U I T I T U L U S E S T ,  
Defensio fidei catholicae de Satisfactione Christi,

A D V E R S V S  
Fauustum Socinum Senensem;  
HERMAN. RAVENSPERGERI  
IUDICIV M.



G R O N I N G A E ,  
Excudebat Iohannes Sassijs, Ord. & Academiæ Typ.

A N N O M. D C. X V I I .



HERMAN. RAVENSPERGER,  
CHRISTI SERVUS,

Omnibus & singulis conser-  
vis & fratribus,

Ecclesiarum in Hollandiâ & VVestfrixiâ re-  
formatarum Pastoribus, Senioribus, reliquisq; ea-  
rundem curam gerentibus, Salu-  
tem & Pacem.

VIRI FRATRES,

Dominus Ihesus ex animo, & apud animum  
meum damno, tum portentosos Re-  
monstrantium & Contraremonstran-  
tium titulos, tum imprimis inau-  
spicatas & ominosas illas concer-  
tationes, quae inter illos tantâ cum  
vehementiâ & animorum impo-  
tentia, in quinque illis articulis  
(qui quidem quinarius numerus totum ferè terrarum or-  
bem percrebuit: et si articulorum ipsorum sensus fortè non  
usque adeò multis & in Belgio & maxime extra Belgium  
innotuit) excentur. Nam & radices earum, à qui-  
bus primùm pullularunt malæ: & rami fructusque qui  
indè succreverunt, mali sunt: de quo (priusquam quid  
vos

vos hoc scripto meo velim, exponam) dicendi quæso,  
potestatem mihi facitote.

Radices duæ sunt, una sub foco, altera sub arâ na-  
ta : quarum utraque ementitis coloribus magno fede-  
rati Belgii onere & periculo, fraudem fecit, plurimis  
que viatoribus dicam an spectatoribus imposuit: faxit  
Deus ut utraque suis satoribus imponat.

Et illi quidem radici sub foco natæ colores fūco illiti  
inſident peregregii & suaves, puta; *Libertas conſen-  
tiarum*, potestas magistratum in rebus & causis Eccle-  
ſiaſticis, alioque his affines.

Isti verò radici sub arâ natæ ſimiliter fūco illiti in-  
ſident colores perelegantes & deſiderabiles, nimi-  
rum; *libertas prophetandi*, ſtudium cætus Euangeli-  
rum diſjunctos conjungendi, diſſidiorum ſemina tollen-  
di, ſimplicitatem fidei introducendi, calumniandi mate-  
riam adverſariis Eccleſiarum reformatarum diminuen-  
di, alioque his cognati.

His coloribus radices conſpicuæ, quem non in  
aspectum amoremque ſui traherent? Tu verò viator,  
quifquis es, qui patriam hanc amas, in quā nunc tan-  
quam in diyerſorio vivis, qui ad coeleſtem illam ten-  
dis, que æternum noſtrum erit domicilium, *ne cre-  
de coloribus iſlis*. Fūco enim illiti ſunt, & non ſine  
periculo patriæ animæque tuæ, oculos tuos paſcunt.  
Averte igitur oculos tuos à fucatis illis coloribus.

Vin' autem nativos ſcire radicum illarum colores?  
Sunt novandi ſtatutum Eccleſiae & Reipublicæ libido:  
eminentiæ & dominii, famæ gloriæve aucupium.  
Apertè dicam quid velim. Persuafſimum habeo

*ſub*

sub praetextu Religionis causam agi Regionis; per schisma ecclesiasticum quæsumus esse politicum: sub velo quinque articulorum tegi monstra errorum & idola cerebri sociniani. Qui verò sic agant: qui illud querant: qui que ista tegant: & utrum multi vel pauci sint, meum non est definire. Ego tamen non adeò multos esse existimo; quotquot autem sunt, mentem eis precor faniorem, & nisi ad sanitatem redeant, similem evenitum cum cane Æsopico, qui non contentus bolo, quem habebat, umbræque ejus avidè inhians, jacturam fecit uriusque.

Rami & fructus concertationum illarum de quinque articulis, nullius prorsus sunt valoris. Quid enim effecerunt iste concertationes? quid efficiunt?

*Vt unioni*, quam Ecclesiæ Belgicæ hactenus sanctè co-  
luerunt, nuntius sit remissus: quod ad summum cala-  
mitatis gradum plus est quam sufficiens.

*Vt politiæ & respublicæ alias benè constitutæ in Bel-  
gio*, intus luxentur & seditionibus repleantur: adeoq;  
etiam private familie mutuis odiis turbentur & distra-  
hantur. Quæ omnia omnimodæ ruinæ florentissi-  
marum Ecclesiæ & Rerum publicarum antecambu-  
lones esse solent.

*Vt frater in fratre non sit amplius animo & affectu amico* 3.  
& placabilis sed planè inimico, obfirmato & ferè inhu-  
mano. Hinc audias & legas scopticæ dictoria, jurgia, male-  
dicta, criminaciones, maledicentias, & quæ non convi-  
tiorū horrida & horrenda genera alia, quibus alii alios  
voce & scriptis insectantur privatim & publicè. Hinc  
etiam videas egregia summae erga optimos Ecclesiastū

Doctores (qui Theologorum lumina dici partim meruere, partim etiamnum merentur) ingratitudinis specimina.

Mendacii & falsitatis, Viri de Ecclesia optimè meriti, publicè non sine omnium bonorum & honestatis amantium offendiculo arguuntur. Scripta eorundem nequiter exagitantur: sæpè in alienum, imò in contrarium sensum rapiuntur: quę dextrè capi & comodè explicari poterant, exasperantur: paucorum, hoc est, unius in hoc doctrinæ capite, alterius in illo, lapsus (qui si excusari non poterant, regi tamen charitatis pallio debebant) non tantum mordaciter accusantur, sed toti sancte Ecclesiæ, quę non unius Bataviæ finibus terminatur, sed in Angliâ, Galliâ, Germaniâ, Helvetiâ, Sabaudiâ, Hungariâ, Bohemiâ, Moraviâ &c. colligitur, exprobrantur. ô nefas!

4. *Vt parvolorum & infirmorum conscientia perturbentur.* In doctrinâ de prædestinatione, Spiritus Sanctus abstrusissima mysteria agnoscit, & Paulus altius eam repetens exclamat: ô profundas divitias tum sapientiae tum cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt ejus iudicia, & ejus via impervestigabiles! Et tamen multi inter fratres Belgas tam securè in mysteriis illis versantur, ac si calculos lusorios in alea tractarent, voluntà desuis speculationibus, & quæstionum inanum decisionibus tam præclarè sentiri, quasi in illarum estimatione mortis aut vitæ aeternæ spes aut jactura reposita essent. Sed & hoc vity in hisce, (verba sunt Theologi eximii Conradi Graferi) de rebus abstrusissimis disputationibus concurrit, quod non in scholis, ut equum erat, inter Doctores retinentur, sed ad Rostra Ecclesiastica ab am-

ab ambitiosis ingeniiis, & ad plebem abripiuntur, ea,  
inquam, quæ ipsi multoties non intelligunt, quæque per se  
neque ad solidam instructionem conscientiarum, neque  
ad pietatis incrementum adeò multum faciunt.

Hoc ipso die ad me missus est libellus Germanicus,  
cui subscripta sunt nomina quatuor Ecclesiæ Campen-  
sis ministrorum. In illo libello prima controversia  
inter Remonstrantes & Contraremonstrantes statui-  
tur, utrum prædestinatio sit Deus ipse, seu ipsa Dei essen-  
tia, an verò reapse à Deo & essentia Dei distincta. Affir-  
mativam prioris, novam falsitatem: posterioris, veterem,  
quam ipsi credant, veritatem appellant. Scripsi  
his diebus ad unum fratrum illorum, & quidem talia,  
quæ persuadere ei possent, visum ante scriptionem  
illam fuisse mihi libellum. Sed revera tum nondum  
fuit mihi visus. Secus monuissem, displicere mihi,  
partim, quod bonis viris & summis theologis in hâc  
quæstione litem moveant: partim quod subtilem &  
à scholasticis argutè, atque in utramque partem  
tractatam quæstionem in vulgus spargant, quasi ei  
heic panis frangatur, sive familiæ Christi demensum  
cibi præparetur. Quæstio subtilis est, cuius inter-  
pretatione cœtus Ecclesiasticus non pascitur, sed per-  
turbatur.

Ut extranei omnesque veritatis Euangelicae adversarii 5.  
calumniandi argumentum habeant, viamque paratam  
agendi de Ecclesiis nostris triumphum. David Pro-  
pheta ille regius & Christi typus, quoties vidit Eccle-  
siæ hostes, ejusdem malis gaudentes & exultantes, ab  
imo suspiravit & ingemuit: quâm multi verò sunt  
fratrum nostrorum, qui hunc Davidicum spiritum  
non

non habent? Imò non desunt qui partium officii sui ita obliviscuntur, ut vanis contentionibus, falsis criminationibus, & barbaricis maledictis non modò licenter indulgeant, sed etiam libenter iisdem applaudant.

Hi nimirum sunt rami, hoc est, fructus & commoda, quæ Ecclesia Christi hactenus percepit, ex alterationibus illis Theologicis, de quinque quos sepè nominavimus, articulis: & quis sponsor esse poterit, non futurum, ut longè acerbiores fructus, hoc est, pejora mala, priora sint exceptua?

- Hæc propterea, viri fratres, longius persequor,
1. *Vt ostendam, in quo versemur periculo.*
  2. *Vt doceam, in quām tetro simus peccatorum luto.*
  3. *Vt evincam, opus ēse maturē & sine mora maturo consilio auxilioque.*

Consilium verò non potest iniri tutius, auxiliumque non potest ferri salutarius, quām si Synodicus à Magistratu Belgii confederati supremo indicetur conventus, eique hoc negotium controversum mandetur dirimendum & componendum.

Ego nullus dubitavi unquam, nee nunc quidem dubito, si legitimè in Synodo cognoscatur causa, & perpendantur omnia utriusque partis, hoc est *Remonstrantium & Contraremonstrantium* argumenta & documenta, quin etiam ipsius causæ controversæ momenta, inveniri posse viam faciendæ pacis. Est quidem verum quod faciliore labore domus destruantur, quām erigatur: est tamen & hoc non minus verum, plus momenti habere rationes, quæ pacem suadent,

dent, & unionem dissidentium, quā habuerunt illæ,  
quæ suaserunt & persuaserunt dissensum & schisim  
unitorum.

In controversiis illis quinque, quæ inter Remon-  
strantes & Contraremonstrantes (quæ nomina uti-  
nam nunquam usurpata essent, vel nunc cum ipsis  
controversiis sepeliri possent!) agitantur, res ita non  
est comparata, ut ab una parte certa & explorata ve-  
ritas, ab altera vero exitiale mendacium & aperta  
falsitas ita stent, ut qui uni illarum se applicat, vel sub  
Christo militet, vel negotium Belialis promoteat, ut pro-  
pterea unicuique credenti, Ecclesie præsertim doctoribus  
opus sit, ut unam & quidem cum alterius professo &  
internecino odio necessario complectantur.

Quod totum ita uelim accipi:

Non quod probem schisma: hoc enim factum vehe-  
menter doleo. 1.

Non quod parvi æstimem litigium: hoc est magni  
æstimo, & tanti æstimandum deploro. 2.

Non quod articulos illos quinque salutis negotium  
concernere negem: sed quod negem, partim non  
superesse remedium partium dissidentium compo-  
nendarum, partim omnes questiunculas, quæ nunc  
de quinque articulis moventur, vel ad salutem, vel  
ad veram fidem, pietatemque necessarias, imò etiam  
fructuosas esse. 3.

Quæ omnia cum ita sint, ut revera, nisi me omnis  
mea meditatio fallit, sunt: tria ex animo opto

Vt scripta Theologorum de quinque illis articulis  
majori ex parte ex hominum memoriâ deleri possint,  
ut quo- 1.

\* \*

ut quorum vix alius usus est, quam ut Monachorum  
Loci communes, per illa locupletentur.

2. Ut fratres in timore Dei, initium, & incrementum, præsentemque statum harum de quinque articulis contentionum, indeque nasciturum periculum tum Ecclesiæ tum Reipublicæ considerantes, vel ad mentem & frugem redeant, vel in proposito pio persistant, hoc est, sive in unitatem redeant, sive eandem, si hactenus coluere perseveranter, proporrò collant. Interim liberum cuique esse potest, privatim de quinque illis articulis & imprimis de quæstis quibusdam planè extrafundamentalibus, id sentire, quod ipse scripturis crediderit consentaneum.
3. Ut fratres uniti rursum, (quod vix fieri posse videtur absque Synodo) unanimi consensu & fortiter improbum propositum primiorum authorum & capitum omnium harum molestiarum impedian, illumque illud Racoviense infelix, quod in his provinciis satum est, eradicent, prorsusque, ne seratur amplius, ab iisdem provinciis arceant.

Hæc est summa voti mei: quod qui mecum probant, Deum pro successu ejus prospero deprecentur. Amen.

Nunc viri fratres, quid vos hoc meo scripto velim paucis accipite,

Hugo Grotius Roterodamensis Syndicus, nobilis Politicus & Iurisconsultus (sic judico) eminentissimus, non ita pridem librum edidit de satisfactione Domini

\* \*

mini nostri Iesu Christi, adversus Faustum Socinum  
hæreticum.

Illum cum Icerem, atq; in locis dubiis & obscuris  
relegerem, deprehendi authorem esse hominem val-  
dè arguti, subtilis & peracuti ingenii, quod ipsum du-  
dum fama mihi nuntiarat. Præterea verò etiam hoc  
deprehendi, en ita *Socini placitum* de satisfactione  
refutare, & ea quæ à jure petuntur arma, catholicæ  
fidei adversarii extorquere, ut eidem suo adver-  
sario iterum itemque suppetias ferat: qnod an con-  
sultò sciensque faciat an nescius, judicet judex ille-  
summus ac treiendus, qui justè judicat & judicabit  
omnia.

*Si sciens* faci, videtur imitari eum, qui osculo os-  
veritatis prodiit. *Sin nescius*, molestè nimis fero  
& ex animo ddeo, scriptorem alias multò felicissi-  
mum, quemque ego ob ingenii promptitudinem &  
magnitude magnifico, tam infeliciter causæ  
controversiæq; theologicæ defensionem suscepisse.  
Ego certè vellim, totum illum à Domino Grotio  
conscriptum lītum in calamo adhuc hærere scripto-  
rio. Persuasus enim sum, id quod ante dixi, ita ad-  
versario satisfactionis, arma illa ex jure petita exror-  
queri, ut reliqu ejusdem ex scripturis præsertim de-  
sumpta, non leviter firmentur..

Rem ita se hæbere, deprehendet, opinor, mecum  
quisquis non m̄dō illum Domini Grotii librum, sed  
etiam hoc meum de eodem judicium, attentè & sine  
præjudicio legeit & perpenderit.

Hoc verò meum judicium uti vobis, *Viri fratres,*  
nomina-

nominatim dedico, eo quod liber qm censeo, ex  
vestrâ provinciâ prodiit, ita vicissitvstro, ut &  
omnium doctorum piorumque judicio id ipsum sub-  
jicio. Neque aliud insuper vos nunvolo, quam ut  
laborem hunc meum boni consulatis Deus Opt.  
Max. cui vos commendo, pacem ier sinceros sui  
cultores & Ecclesiæ præsentim paores, san-  
ciat: lupos verò abigat & arcea Amen,  
iterum amen. Dabam Groing.

Domin. 11. advent. Ann

1111 CICCI



# DE LIBRO

Clarissimi, Consultissimi & Amplissimi viri,

Dn. H V G O N I S G R O T I I,

A D V E F R A M S V S

Faustum Socinum Senensem:

## I V D I C I V M.

Ibrum Dn. Hugonis Grotij viri Clarissimi, Consultissimi & Amplissimi, quem sub titulo defensionis fidei Catholicæ aduersus Faustum Socinum Senensem in publicum dedit, rogatu hortatuque amicorum ac fautorum aliquot mcorum, legi à capite, ut ajunt, ad calcem. Genus orationis floridum, mundum & castigatum est, augustius denique quam ut id à me ad censuram vocari oporteat. De re vero ipsa, ut mentem & sententiam meam, quando id non abs re, nec preter exemplum bonorumque desiderium sum facturus, breviter aperiam, authorem, ut id ipsum non graviter atque iniquo ferat animo, etiam atque etiam rogo atque obtestor: cum præsertim etiam ipsorum Proprietarum spiritus, prophetis subjiciantur, ut ab Apostolo docemur. Et hoc à Dn. Grotio me impetraturum confido, si 1. Cor. 14 ver. 32.

A

quidem autor præfationis ad veritatis Euangelice studio-  
sos testatur, Dn. Grotium, si quid minus rectum à se di-  
ctum sit, hoc indictum velle: & piorum judicia gra-  
tissimo animo accepturum.

Principem quidem Theologie locum adversus matælo-  
gum versutum, vafrum, malitiosum (per quem Satanæ  
miras machinas adhibuit, ut unico salutis nostræ propug-  
naculo expugnato præda nos expositos haberet) tractan-  
dum & defendendum recepit: sed ita tractavit, ita defen-  
dit, ut nisi autoritas scriptoris summa, & tum in humaniori-  
bus literis, tum in omni disciplinarum ac facultatum  
genere eruditio spectata esset, haud peccare eum, qui illud  
Danielis vocis TEKEL interpretamentum, tractatu de-  
fensionive illi inscriberet, arbitrarcr. Vocularum &  
phrasium quarundam usum significatumve apud ICTos re-  
ceptum operosè & speciosè persequitur, atque eadem ope-  
rà Socini hallucinationes circa eas ipsas voculas & phrases  
in materia hæc satisfactionis theologicæ abunde satis no-  
tat: ipsum vero rei nodum, quod ajunt, raro & leviter at-  
tingit, tantum abest ut scindat aut resecet.

Plurima & quidem longè præcipui in hac satisfactionis  
doctrina momenti præterit. Neque id satis commodè ex-  
cusat autor præfationis (alioqui nitide & perelegantis)  
ad veritatis studiosos, cum scribit Dn. Hugonem Grotium,  
relicta aliis meriti questione, eam quæ de satisfactione  
est, tractandam suscepisse. Nam si in hac doctrina  
Dn. Grotius tam accuratè vult disparari satisfactionē &  
meritum, cur ipse de reconciliacione & redēptione per  
mortem Christi factā & partā ex professo agit? Satis-  
ciendo enim h.e. pœnas pro peccatis nostris solvendo, &  
mortem perferendo reconciliationem nostri cum Deo &  
redēptionem nobis acquisivit.

Sed

Sed valeat excusatio præteriorum quantum potest :  
nunc commissa quædam Dn. Grotij quæ asterisco digna vi-  
dentur annotabimus.

Vbi sententia Catholica ponitur, hec leguntur verba: Pag. 2.

Deus constituit, ut Christus pœnas penderet pro pec-  
catis nostris, ut salvâ divinæ justitiæ demonstratione,  
nos intercedente verâ fide, à pœna mortis æternæ li-  
beraremur.

Verba non satis manifesta, rotunda & ambiguitatibus  
libera sunt, imò portentosæ Socini hæresi non omnino ad-  
versari nonnullis videri possunt. Nam,

1. Socinus non negat Christum pœnas pependiſſe, eam-  
que pensionem è quodammodo prodeſſe, ut nos à pœna  
mortis æternæ liberaremur. Sed hæc duo negat hereticus:

1. Christum pœnas æternas (sive duratione, quod  
utrinque est in confessio, sive intentione) pependiſſe.

2. Illâ pœnæ pensione seu perpessione divinæ justitiæ  
pro nobis, seu pro pœnis quas nos debebamus satisfa-  
ctum esse.

Neutrū autem horū affirmat Dn. Grotius: quorum  
tamen utrumque liquidò hic affirmandum erat, ubi sen-  
tentia Catholica contra blasphemum Socini PLACI-  
TVM (retineo vocem quâ Dn. Grotius utitur: et si nimis  
lenis hoc loco videatur) ponitur.

2. Socinus duplē communiscit Dei justitiam, al-  
teram perpetuam, quâ Deus perpetuè utitur dum scele-  
ſtos & contumaces ac perditæ ſpei homines plebit atque  
exterminat: alteram non-perpetuam, quâ peccatores non  
contumaces, neque omnino desperatos nonnunquam punit,  
non expeſtata eorum pœnitentiâ, vel etiam quanquam re-  
ſipuerint, exclusâ misericordia promiſſione punire potest.  
Non illâ, sed hâc justitiâ Deum pro peccatis nostris fi-

lum suum punivisse, vult Socinus. Cui commento non contradicunt verba Dn. Grotij, salvâ divinæ justitiae demonstratione, sed probè & examusim ei congruunt. Nullus enim Socinianorum negabit, Deum constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salvâ divinæ justitiae (nim. non perpetua, quæ pro beneplacito agat vel puniendo vel indulgendo) demonstratione, nos liberaremur.

Atqui huic commento Socini, quod plurimorū ejus errorū in hac satisfactionis materiā, radix, fons & seminariū est, aperte erat à Dn. Grotio contradicendum hic, ubi Catholicam sententiam adversus exitiale Socini PLACITVM ponit.

3. Socinus securitatem nostram à rigore divinæ justitiae ad respectum sive conditionem fidei in Christum adstringit: h. e. docet, justitiam Dei per fidem in Christum & pœnitentiam nullo alio interveniente medio, mutari. Cui commento Socini, quod etiam multorum ejus errorum scaturigo est, non contradicunt hæc Dn. Grotij verba, intercedente verâ fide, sed ei probè respondent. Nullus enim Socinianorum unquam negabit, Deum constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris, ut nos intercedente verâ in Christum fide (quæ Socino non nisi historica est) liberaremur.

Atqui huic commento manifesto hic contradicere debet Dn. Grotius, ubi Catholicam sententiam adversus perversum Socini PLACITVM ponit.

Pag. eadem hæc leguntur verba.

Causa altera quæ Deum movit, sunt peccata pœnam commerentia. Et pag. 5. in principio hæc. Causa autem impulsiva cum possit esse multiplex, hoc loco meritoria accipienda est. Agitur enim de pœna. Peccata autem pœnæ causa sunt non aliter quam per modum meriti.

Non

Non semel sed iterum iterumque hac loca inspexi, cum  
que iis, quæ huc facere videbantur diligenter contuli: &  
sanè mira, nec usque adeò ex dignitate Dn. Grotij, viri a-  
lioqui de quo constat, ingeniosissimi, visa est mihi causa-  
rum rei de qua agitur, tractatio. Res de qua agitur est  
satisfactio, ut apparet vel ex ipso libri titulo. Ejus igi-  
tur causas flatim initio sibi putavit explicandas. Et re-  
tissime quidem ait: Causa efficiens rei, de qua agimus,  
prima est Deus.

Rectissimè etiam: Causa quæ Deum movit, prior est  
misericordia sive  $\Phi\lambda\alpha\vartheta\omega\pi\alpha$ . sed non rectè: Causa  
altera, quæ Deum movit sunt peccata pœnam com-  
merentia. Res enim de qua agitur, est satisfactio, ut dictum.  
Ejus causa efficiens prima seu principalis est Deus. Mo-  
ventes sive in pulsiva cause due sunt, prior quæ proegu-  
mena, & altera quæ procatarctica logicis dicitur: Inter  
quas hoc est discriminis, quod prior semper est in ipso effi-  
ciente intus, altera vero extra efficientem. Proegumenæ  
satisfactionis causa est misericordia seu  $\Phi\lambda\alpha\vartheta\omega\pi\alpha$ : illa  
enim intus Deum movit, ad mittendum dilectum filium,  
qui pro genere humano satisfaceret. sic hactenus Dn. Gro-  
tio consentio. Non possum autem in hoc ei consentire,  
quod peccata pœnam commerentia faciat causam satisfa-  
ctionis procatarcticam. Cum enim procatarctica causa  
proegumenam irritet, dicendum esset, peccata pœnam com-  
merentia esse illud, quo Deus extrinsecus motus & pro-  
vocatus sit ad mittendum misericorditer filium suum, qui  
pro nobis satisfaceret. Quod an pium sit dicere, ipsius  
Dn. Grotij esto jam judicium. Peccata sunt quæ Deum  
provocant ad iram, ut clamat tota sacra pagina, & reos-  
facit homines æternæ damnationis. Quare cum dixisset  
Dn. Grotius, misericordiam Dei esse satisfactionis causam  
moventem.

moventem internam sive impulsivam primum, alteram  
impulsivam externam, illius internae irritatricem, non  
peccata, sed miseriā hominum lapsorum, & in peccatis  
suis periturorum absque hāc satisfactione si fuisset, dicere  
debuisset. Hāc est fides ecclesiae canentis.

Es jammer Gott in ewigkēyt  
Mein elend über die masen /  
Er dacht an sein barmherzigkēyt  
Er wolt mir helfsen lasen.

Atque hic primus est Dn. Grotij heic lapsus: alter sub-  
tilior quidem est, sed periculosior. Rectissimè quidem Dn.  
Grotius ait, ut supra testati sumus, causam quæ Deum  
movit priorem esse misericordiam: sed cum causa illa  
movens in Deo sit gemina, Misericordia videlicet &  
Iustitia; & hec quidem ordine naturæ prior, quid animi  
viros cordatos gerere putat super silentio illo suo quo ius-  
titiam tacitus præteriit. Iustitia Dci, pœnam peccatis pro-  
meritam irrogari homini: misericordia Dei, hominem  
nobilissimam illam & fortunatissimam ante lapsum crea-  
turam, è miseria in quam per peccatum devenerat, libera-  
ri volebat. Ergo iustitia prius & quidem immutabiliter  
satisfactionem postulabat: misericordia postea hoc modo,  
nempè per Christum eam fieri procurabat. Sic videlicet  
distincte secundum nostrum concipiendi modulum de-  
loquimur, quæ in Deo non ita, ut in nobis, distingui-  
tur.

Illud igitur quomodo Dn. Grotius excusare posset ipse vi-  
deat, quod causam satisfactionis procatacticam facit  
peccata pœnam commerentia, & tamen iustitiam non  
facit causam impulsivam: quod si fecisset, prius illud de-  
fendi potuisset. Quum enim iustitia Dei dicitur causa im-  
pellens Deum ad postulandum satisfactionem pro peccatis,  
pœccata

peccata possunt dici causa externa irritans Dei iustitiam,  
ut postuleat.

Atque hic locus est distinctioni inter postulatum  
Dei iudicis quod immutabiliter nos urget ad satisfacien-  
dum: & moderamen Dei Patris, quo sit ut satis sit, u-  
num, nempe Iesum Christum satisfacere pro nobis omni-  
bus.

Illius causa proegumena est Dei iustitia & eam extrin-  
secus irritans peccatum: hujus proegumena Dei miseri-  
cordia, & eam extrinsecus irritans hominis miseria.

Atque hic est alter Dn. Grotij heic lapsus: sequitur  
tertius. Quum peccata causam satisfactionis impulsivam  
alteram, que cause impulsiva prima puta misericordie  
respondeat, fecisset: paginā quintā aserit peccata im-  
pulsivam meritoriam esse causam. Cujus quæso rei? An  
panet? Id videtur velle Dn. Grotius cum ait, peccata poe-  
næ causa non sunt aliter quam per modum meriti.  
Sed hoc à proposito alienum est. Non enim queritur de  
causa procataractica meritoria pœnarum, sed de procatar-  
actica meritoria satisfactionis. Illa sunt peccata: ista ve-  
rò pretiosus Christi sanguis pro nobis effusus, quo satisfa-  
ctum, sive satisfactione promerita est. Neque hic audiendi  
sunt qui sic argutantur. Morbus extrinsecus impellit  
medicum ad faciendum medicinam, & debitum sponsorem  
ad interponendum fidem, & præstandum solutionem:  
Ergo peccatum, quod morbo & debito comparatur, extrin-  
secus movet Dei misericordiam ad procurandam satisfa-  
ctionem. Similia enim non inferunt demonstrativè, sed  
afferunt declarative.

Et licet viri docti atque Orthodoxi nihil absurdum sub-  
esse putent, si dicatur morbus impulsus medicum ad  
curationem agri, qui postea fit objectum curantis: ego ta-  
men,

men, quæ est ingenij mei fortè tarditas, non capio, quo hac assertio nitatur fundamento. Mihi certè duriuscula videtur locutio, morbus impellit medicum ad curam. Nam si morbus quâ morbus extrinsecus impellit, cur non æquè morbus bruti animalis, quam rationalis hominis impellit extrinsecus medicum ad curam. Impellit igitur medicum extrinsecus dignitas creature ad imaginem Dei conditæ; sive miseria dignissimæ illius & nobiliss. creaturæ in quam per morbum incidit, è qua miseria ut medicum eam eripiat & sanitati restituat, omni studio anniti ex officio debet, cum per Dei beneficium licet.

Similis mihi videtur illa locutio, debitum impellet spōsorem ad spondendum. Si debitum quâ debitum impellit, cur non æg, paratis sumus pro inimico atq, pro amico, pro peregrino atque propinquuo spondere? Nec hic momentū habet si quis dicat, debitum limitatum ad personam amici, causam esse quæ impellat extrinsecus sponsorem. Hæc enim propositio ex corum numero est, quas accommodas appellant, quia commodà aliquâ limitatione seu restrictio- ne gent, nec sine eâ admitti tolerarique posunt. Et ut in excusatetur propositio illa, manet meo judicio hoc firmum, quod non debitum quâ tale, sed amicitia & propinquitas quâ talis, moveat sponsorem ut sponsione suâ inopie & necessitatí amici & propinqui succurrat. Vel si mavis, si non debitum quâ debitum, sed miseria amici & propinqui in quam per debitum incidit, movet sponsorem ut spōdeat. Verum abundet hic quisque suo sensu, modo agnoscat non esse bonam firmamque hanc sequelam: morbo & debito assimilatur peccatum: Ergò ut morbus medicum ad curam, debitum sponsorem ad sponsonem; sic peccata Deum movent ad misericordiam.

Pag. 4.

Hæc leguntur verba: Cum pro peccatis passus aut mortuus

mortuus dicitur Christus, causam finalem (ut vult Socinus) intelligi res ipsa non patitur. Et pag. 6. hæc, Manet ergo inconcussum, phrasin ob peccata causam denotare impulsivam, & quidem meritoriam.

Hac Dn. Grotij assertio non nititur fundamento solido. Falsum quidem est, particulas PRO & PROPTER nunquam significare causam impulsivam, ut vult Socinus, referente Dn. Grotio: sed tamen non ausim affirmare, quod Dn. Grotius affirmat p. 2. & 3. Phrases istas pro peccatis & propter peccata quoties perpetrationibus junguntur sive adhærent, diversum à causa impulsiva sensum non recipere. Ex locis verò benè multis, quæ Dn. Grotius citavit colligi potest, non abs re esse, quod Theologus quidam eximus contra Socinum scribit, phrases has pro nobis & propter nos vicem, at pro peccatis & propter peccata nostra utilitatem significare.

Ad locum illum Pauli: Si per legem justitia; Ergo Christus ὁ ἀριστος est mortuus. Gal. 11. 21. hæc Dn. Grotij leguntur verba. ubi vox ὁ ἀριστος Socino agnoscente, significat sine causa: sed addi debuit sine causa antecedente. & pag. 7. hæc. Locus ipse Pauli de quo agimus, aliam quam antecedentem causam intelligi non patitur.

Nec genuina, nec nisi cautè & commode explicetur, orthodoxa videtur mihi hæc interpretatio Dn. Grotij. Non genuina: quia infirmat Apostoli argumentationem: quæ talis est.

Si per legem est justitia, Christus frustra est mortuus.

At Christus non est frustra mortuus.

Ergo per legem non est justitia.

Infirma hic est consequentia, si frustra idem esse dicatur, quod sine causa antecedente. Nam quanquam ex

B

lege & ejus observatione justitia esset: posset tamen esse  
causa antecedens mortis Christi alia, & si Socino credimus  
hec unica, ut fedus viamque salutis morte sua confirmar-  
et, utque nos fidem in Iesum Christum haberemus: qua  
fides, ut loquitur Cateches. Polon. cap. 9. duo in se comple-  
titur, quorum alterum est, quod non soli Deo, sed etiam  
Iesu Christo fidendum sit; alterum quod Deo obe-  
diendum non solum in iis, quae in lege praecipit, &  
per Christum non sustulit, sed etiam in illis omnibus  
quae Christus legi addidit.

Neque satis orthodoxa est illa ipsa interpretatio, nisi  
caute admodum & commode explicetur. Christus dicitur  
i.e. sine antecedente causa est mortuus. Accedit enim  
propè ad errorem Socini, non justificatos esse patres in  
V. T. fide in Christum, sed fide in Deum. quae resut  
clarior sit, sic habendum. Sociniani ajunt, in federe veteri  
per Mosen dato homines quidem per fidem esse justificatos  
juxta caput 11. ad Hebreos, sed non per fidem in Christum  
Dei filium, verum per fidem in solum Deum: in federe an-  
tem per Christum isto & firmato justificari homines tan-  
tum per fidem in Christum. Huc accommodant illud  
Petri Act. 4. vers. 14. Nullum aliud nomen homini-  
bus sub caelo datum, in quo salvari debeant; quam no-  
men Iesu. Iuxta hanc fidei inter Deum & Christum di-  
visionem totam intelligunt disputationem Pauli, de ju-  
stitia legis & fidei.

Nunc attende & videbis, quam probè interpretatio  
Dn. Grotij commento huic subserviat. Si ex lege h. e. ex  
federe legali quod Deus per Mosen dedit, est justitia:  
frustra, i. e. absq; causa antecedente impulsivâ, Christus  
est mortuus. Nam si per fidem quae in federe legali erat  
tantum in Deum, nos sub N. federe justificari debuimus,  
quid.

quid movit Christum, ut mortem subiret, si, inquam, morte suā non obtinuit, ut fides etiam ipsum respiciat? Vereor ne Sociniani dicturi sint, ita Dn. Grotium contra Socinum de vocis ḥωραῖν significatu disputasse, ut dogma Socini de quo dixi, non leviter roboretur.

Si tamen dextrè Dn. Grotius sese explicet & sincerè nobiscum agat, deque rigore illo, non pati locum Pauli aliam quam antecedentem causam intelligi, non nihil remittat, ac quiescimus. Certè vox illa ḥωραῖν aliquando causam antecedentem denotat ut Ioh. 15. vers. 25. Oderunt me ḥωραῖν immerito h.e. sine culpâ meâ, sive cum odii causas ipsis nullas præbuerim. Apud Paulum verò ḥωραῖν non causam impulsivam, sed finalem significare existimamus. Recte Erasmus veritatem Frustra h.e. sine fructu, seu (ut logicè loquamur) sine adeptione finis. Nam finis mortis Christi fuit, ut nobis mereretur remissionem peccatorum, atque adeò ut nos, per justitiam morte ipsius partam imputatamque nobis, justificaremur: quem finem certè ille adeptus non est, si justitia nostra per legem est.

Exemplum sanctimoniae tota vita Christi præbuit, magis quam mors ipsa, quæ brevi momento peracta est.

Pag. 10.  
hæc legū  
tur verba.

Exemplum sanctimoniae totam vitam Christi præbuisse certum est. An verò vita magis præbuerit quam mors, non ausim temere definire. Certè quo majorcs fuerunt Christi passiones, eo majus, evidentius & illustrius præbuit patientie, fortitudinis, charitatis & benevolentie, ad eoque omnimoda sanctimoniae exemplum. Illa autem num Theologi vox sit, Christi mors brevi momento peracta est, ipsis Dn. Grotij postquam rem accurratius in timore Domini perpenderit, arbitratus esto. Mors Christi

non definitur illo temporis momento, quo animam efflavit,  
commisso eadem paulo ante patris celestis manibus, sed ab  
eo tempore, quo anima ejus in horto tristis esse capitur, usque  
ad extremum vitae terminum. Agnoscit hoc ipse Socin-  
nus, cum finem mortis Christi à Petro exemplum imitatio-  
nis statui assertit. At Petrus illic non mortis, si ipsum  
vocabulum spectas, meminit, sed mortifer & passionis, quam  
extremā & solennē theologi vocant, que non modo nō mo-  
mentanea, sed nocturna fuit atq. diurna. Dum verò breve  
momentum mortis Christi, Dn. Grotius dicit, sic Socinum  
refutat, ut mortis Christi pretium extenuare videri possit.

P. 12. &  
13.

Dn. Grotius contendit contra Socinum ἀνεργού  
ἢ ἀναφέγγει idem sonare quod ferre, non auferre.  
Idque evincere contextum Petri, qui non de quovis  
Christi beneficio, sed summa ejus patientia agat, que  
non auferendo sed ferendo ostendatur.

Hac Socini refutatio nimis perfunditoria est. Socinus  
tumultuatur Petrum 1. Pet. 2. vers. 23. & 24. nullam in-  
stituisse commendationem satisfactionis per Christi passio-  
nem prestat, sed virtutum ipsius & peculiariter patientie;  
ex eoque occasionem sumsisse homines ad peccatorum mor-  
tificationem & vitam in justitiā degendam adhortandi.  
Ex hoc deinde concludit, Christum propterea mortuum,  
ut exemplum imitationis nobis relinquaret, non ut satis-  
factionem pro nobis prestat. Dn. Grotius prius illud  
Socini concedit; sed ad id, quod inde Socinus, contra Ca-  
tholicam sententiam, quam ipse defensurus est, infert, nihil  
dicit: que utique perfunditoria refutatio est.

Respondere autem debebat, unius & ejusdem rei mul-  
tos posse esse fines, quorum unus alterum non tollat. Chri-  
stus ipse mortis suae finem declarat esse redemptionis  
pretium Math. 20. vers. 28. Paulus sacrificium expia-  
tionis

tionis Heb. 9.v.26. & 28. Item 10.vers.10. & 14. Petrus exemplum imitationis, loco supra citato.

Illud verò Dn. Grotij quid est? patientia Christi summa de qua Petrus agit, non auferendo, sed ferendo ostenditur. Ergò οὐαφέγειν ἀνεγενεῖν non auferre, sed ferre significant. Quid hinc? E. peccata nostra Christus quidem tulit, non abstulit; quod est falsum. Sanè Christus peccata nostra à nobis abstulit, removit, & abjevit, quatenus ipse ea in se recepit, tulit, bajulavit. Si enim ipse peccata nostra in se non recepisset, tulisset & bajulasset, nullo eadem patto auferre & removere potuisset. Etsi igitur Petrus respectu effecti, verbo utatur removendi aut auferendi, nullam tamen hinc contra nos proferre poterit Socinus demonstrationem. Constituto enim effectu, nulla sit abnegatio cause, sed necessario planè subintelligitur.

Poenæ sanè generaliter sumptæ etiam in bestias cadunt. Sed hoc quorsum? Ergò jure sibi non sumit Socinus, non posse ullo modo dici hircum expiatorium Lev. 16. poenas pro populi peccatis pertulisse.

Esaïas cap. 53. vers. 7. ait, Exigitur peccatum & ipse affligitur. Hinc Theologi concludunt; Ergò Christus tulit pœnas pro peccatis nostris.

Objicit Socinus locum Levit. 16. vers. 21. & 22. Vbi peccata populi dicuntur imponi hirco expiatorio, qui eas erat in vastam solitudinem, nec tamen valere deductam inde conclusionem. Ergò hircus pertulit pœnas pro peccatis populi.

D. Grotius respondet, posse dici hircum pœnas pertulisse, cum pœna generaliter sumpta etiam in bestias cadat. Hac est nullius momenti responsio. Si pœna generaliter sumpta etiam in bestias cadit. Ergò hircus expiatorius peccata populi Istraëlitici verè pertulit. Pertulisse quidem

Pag. 16.  
scribit Dn.  
Grotius.

hircus dici potest peccata populi, h.c. pœnas peccati: sed non debet hoc dici ex hoc fundamento, quod Dn. Grotius comminiscitur, quia in bestias pœna cadit. Verum ex isthoc, quia hircus typus fuit & figura Christi, qui solus peccatorum nostrorum pœnas in corpore pertulit, & abstulit, & cuius solius vibicibus sanati sumus.

Infra p. 150. eadem D. Grotius repetit, & p. 151. sic concludit. Ex his quæ diximus perspicuum jam est, quomodo victimæ pro peccato in veteri federe peccata expiarint, nim. Deum movendo ut poenam carnalē remitteret, idque per satisfactionem quandam: quod autem typi præstiterunt carnaliter, hoc oī̄vītūtōs Christus præstat spiritualiter &c.

Quid audio: victimas veteris carnaliter, non spiritualiter expiassæ peccata? & quidem per quandam satisfactionem h.e. movisse Deum, ut carnalem remitteret pœnam? Geminus error: victimæ per se nullam prorsus satisfactionem præstiterunt, quâ commotus Deus peccatorum pœnam remiserit: sed tantum instar typorum satisfactionem Iesu Christi plenissimam præfigurarunt.

Quum verò victimæ instar typorum dicuntur peccata expiassæ, non moverunt Deum ad pœnam tantum carnalem, sed maximè spiritualem, remittendum; non signarunt liberationem temporalem, ut sub finem ejusdem cap. Dn. Grotius ait, sed αἰώνιον λύτρωσιν.

Disputat Dn. Grotius toto cap. 2. quomodo Deus in negotio satisfactionis considerandus sit, & concludit, Deum considerandum ut Rectorem seu summum principem, quod alicubi Socinus fatetur p. 40. & 41. Non verò Deum considerandum ut creditorem, id quod contra Socinum, nec ut Iudicem, quod cum Socino ipse negat.

Sed nimis licenter Dn. Grotius considerationem  
Dei

Dei ut creditoris & iudicis ab hoc negotio removet. Non uno sed tribus illis modis Deus est considerandus, quia q̄ētū in hoc actū triplicem scriptura Deo tribuit, videlicet ut Rectori, ut Creditori, ut Iudici. De Rectorē res clara & utrinque in confesso est.

De creditore volens nolens Dn. Grotius concedit p. 48. quod Deus poenam peccatorum remittens alicubi cum creditore de jure suo cedente, comparetur Matth. 18. Concedit etiam p. 49. Dei & creditoris actus convenire non tantum causa movente, quæ est benignitas: & effecto, quod est liberatio à miseria aut molestia: sed eo insuper, quod in utroq; præcedit jus aliquod, in Deo ad puniendū, in creditore ad exigendū creditū, & utrinq; cōtingit dissolutio quædā obligationis antea existētis.

Hac cū D. Grotius concedat, miror quo consilio & ex quo fundamento neget Deum in satisfactionis negotio considerandum ut Creditorem. An quia similitudo inter Deum & Rectorem negotio satisfactionis accommodatior est, alterā illā similitudine & parabolā, inter Deum & Creditorem? Id videntur velle tres illæ ejus assertiones.

1. Punire non est actus competens parti offensæ quā tali p. 42.

2. Naturaliter pars offensa quā talis nullum jus habet in poena p. 45.

3. Ius puniendi in Rectore non est, aut jus absoluti Domini aut Crediti.

Heic nos Dn. Grotium amicè volumus monitum.

1. Non esse bonā hāc sequelā; parabola quā Deus cū Rectore cōparatur in negotio satisfactionis præstatiōr, clarior, accōmodatior, seu rebus omnib; ac circūstantiis magis analogā est, quā illa quā De° cū Creditore cōfertur. E. De° nō cōsideratur ut creditor, sed tātū ut Rector in negotio satisfactionis:

D. Grotius

Dn. Grotius existimavit facturum se rem Christiano  
ICto non indignam si ea, quæ à jure petuntur arma Ca-  
tholicæ fidei adversario extorqueret. Vide p̄efat. ad  
veritatis Euangelicæ studiosos. Ergo D. Grotius in de-  
fensione hâc fidei Catholicæ consideratur tanquam fortis &  
animosus Miles. Conveniat omnium optimè similitudo  
à militia desumpta in Dn. Grotium Defensorem: quis in-  
terim negabit, eundem Dn. Grotium h̄ic considerari  
commode posse tanquam Advocatum, siquidem patroci-  
nium causæ seu fidei Catholicæ adversus Socinum tuetur.

Profecto cum Iesus Christus appositissimè in satisfactio-  
nis negotio dicatur potioris federis sponsor Heb. 7. vers.  
22 sequitur infallibiliter, Deum appositissimè in eodem  
satisfactionis negotio creditorem dici: nos verò debitores.  
Est enim perpetua ḡtis inter creditorem, sponsorem &  
debitorem.

Neque commodior in suis terminis considerata similitu-  
do excogitari potest, quæ in negotio hoc satisfactionis con-  
sideretur, quam illa de creditore & debitore, interque illos  
interveniente sponsore.

Nec obstat quod D. Grotius movet, nunquam cum  
justitiâ pugnare de jure crediti cedere. p. 50.

Hoc enim h̄ic partim alienum est, partim falsum. Probo  
illud: quia et si se res haberet, ut vult Dn. Grotius, non ta-  
men sequeretur Deum nullatenus ut creditorem posse con-  
siderari. Probo istud: quia debitum aut l̄edit honorem  
creditoris, aut non l̄edit. Si debitum non l̄edit honorem  
creditoris, certè non pugnat cum justitia, de jure crediti  
cedere sine ullâ compensatione: ut cum Rex aliquis servo  
suo remittit debitum aliquot millium florenorum. Hoc,  
inquam, debitum, quia non l̄edebat majestatem regiam,  
potuit salvâ majestate remitti: si verò debitum l̄edat ho-  
norem

vorem creditoris, ejusque naturae & glorie è diametro ad-  
versetur, certè non potest sine satisfactione creditor de jure  
crediti cedere, hoc est debitum libero voluntatis ductu re-  
mittere: Postremi generis debitum est omne peccatum.  
E. non potest Deus de jure crediti sine satisfactione ce-  
dere.

2. Non sine gravi præjudicio fidei Catholica Dn. Gro-  
tium pro equipollentibus accipere jus Offense partis, jus Cre-  
diti, & jus Dominij. Nam 1. Et si punire non est actus  
competens parti offense, quâ tali: potest tamen competere  
vi contrastus creditor quâ tali. 2. Etsi naturaliter pars  
offensa quâ talis nullum jus habet in pœna: potest tamen  
habere Creditor quâ talis, & habet revera Dominus quâ  
talis. 3. Etsi jus puniendi in rectore non est jus Crediti  
aut Dominij: jus tamen puniendi in absoluto Domino est  
jus absoluti Dominij. Hacenus ostendimus Deum in ne-  
gotio satisfactionis ut creditorem: restat ut ostendamus  
eundem ut judicem considerari.

De hac re sic scribit Socinus. Deus non est conside-  
randus ut judex, qui de alieno jure agit, & cui à legum  
præscripto recedere non licet: sed est considerandus  
ut princeps & Dominus cuius sola voluntas omnium  
rerum lex est & perfectissima norma. Quid aliud Dn.  
Grotius? Sed ad rem: de qua nota.

1. Certum est Deum in negotio satisfactionis considerari  
ut principem & Dominum, cui non est lex lata, sed cuius  
voluntas ei pro lege est: inde tamen non recte colligitur  
Deum non considerari ut judicem. Vnum n. horum al-  
terum non tollit, aut perimit.

2. Certum etiam est Deum passim in scriptura compa-  
rari cum judice, qui mundū judicet in iustitia, qui judicet  
vivos & mortuos, qui judicet unumquemque secundum o-

pera sua. Ergo recte consideratur Deus in puniendis & remittendis delictis, ut judex.

3. Certum denique est, judicem alium esse subdelegatum qui de superioris jure agit, & cui à legum præscripto recedere non licet: alium supremum, qui alieno juri & legibus non est subjectus, ac proinde liberrime judicat quomodo & quandocunque judicat, nec injuste judicat, cum vel ipsum peccatorem punit, vel eundem prestat pro eo à tertio aliquo omnimodâ satisfactione, absolvit. Deus vero non subdelegatus, sed supremus judex est.

CAP. 3. Disputat Dn. Grotius, qualis sit actus Dei in negotio satisfactionis, & respondet in genere esse punitionem unius ad impunitatem alteri consequendam p. 56. Eadem & sequenti ait.

Non esse actum illum legis executionem.

Non etiam esse legis abrogationem.

Non etiā esse interpretationem legis ναῦ ἵπτεσθαι. Sed esse legis relaxationem seu dispensationem.

Quæ hac est subtilitas? Dei in postulatione satisfactionis actio, est pœnae peccatis promerita exactio: quæ si impersonaliter consideratur, cur percator puniendus sit, finis ejus est divinae justitiae demonstratio: si vero personaliter, cur Christus punitus sit, finis ejus est, ut per Christi punitionem nos impunitatem consequamur.

Hac personalis pœnae peccatis nostris promerita exactio, recte appellatur legis relaxatio seu dispensatio. Summa enim legis hæc erat. Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ: Verba sunt Dn. Grotij p. 56. Deus vero in negotio satisfactionis relaxat hanc legem sive dispensat de ea hoc modo: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ, vel per seipsum, vel per alium.

Frustra autem est, quod Dn. Grotius ait, actum illum

Dei

Dei non esse legis exsecutionem, nec abrogationem, nec interpretationem per epukiam : sed legis relaxationem seu dispensationem. Est enim hec omnia. Dispensatio enim illa quid est nisi legis exsecutio severitate stricti juris lenitatem. Quod animadvertis Dn. Grotius, cum negasset, actum hunc Dei esse legis exsecutionem, mox subjicit: nam si Deus legem omnino exsequeretur &c. Sed aliud est legem omnino, i. e. stricti juris rigore, exsequi, aliud cum dispensatione aliquam exsequi. Hoc, non illud facit Deus.

Dispensatio etiam illa annon est legis abrogatio ? Negat Dn. Grotius, quia lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii sunt eidem legi. Ideo scriptum est, quod ira Dei manet ēpi 18; dñi 3. vers. 36. &c. pag. 57.

Quae hac est sequela ? Si lex infidelibus non est abrogata, si super infideles manet ira Dei, si infideles occupat ira Dei usque ad finem : Ergo lex fidelibus non est abrogata, & super fideles manet ira Dei, & fideles occupat ira Dei usque ad finem ? Nulla. Lex quo ad rigorem & sententiam damnatoriam sive maledictionem abrogata est, sive ut Apostolus loquitur, non est posita justo : posita vero est contemptoribus, & iis qui subiici nesciunt, impiis & peccatoribus nefariis ac profanis patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis & mendacibus, perjuris, & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ sit oppositum 1. Tim. 1. vers. 9. & 10.

Dispensatio denique illa an dici nequit interpretatio legis nō ēpi 18; ? Sic vult Dn. Grotius, siquidem ea interpretatio ostendat aliquod factum aut personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam p. 57.

Quæ hæc est argutia? Interpretatio per Epikiam non necessario ostendit factum aut personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam: sed hoc ostendit, legis obligationem, quæ erat ad mortem, ab omnibus hominibus Dei filiis adoptivis, in unam personam, puta in filium Dei unigenitum Iesum Christum fuisse translatam.

Cæterum fac ita esse, nim. ostendere interpretationem per Epikiam, personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam: eo ipso Dn. Grotij assertio perit. Ostendit enim dispensatio divina personam Iesu Christi, qui sub obligatione legis ad mortem sive pœnam, non fuit comprehensus, quia ipse legem non est transgressus. Nostrí autem causa qui sub legis obligatione eramus, legi factus est obnoxius: ut, inquam, nos qui legi eramus obnoxii redimeret, ut adoptionem acciperemus Gal. 4. vers. 4. & 5.

Tandem dispensatio de lege, quid est nisi legis per epikiam interpretatio, abrogatio, executio?

Tractat D. Grotius questionem. An lex pœnalis sit relaxabilis, & definitivè concludit p. 61. Legem Dei positivam & poenalem, dispensabilem fuisse appetet.

Resp. 1. Lex pœnalis dispensabilis quidem est, & relaxabilis quantum attinet illum Dei actum, de quo paulò ante, quo pœnam à nobis promeritam in Christum sponsorem nostrum transtulit, sed non est relaxabilis, sic ut legis moralis transgressio omnino impunita manere posset.

2. Falsum est, legem pœnalem esse legem positivam: si quidem verum est, quod de omnibus legibus positivis Dn. Grotius statuit, illas nimirum absolute esse relaxabiles, pag. 58. At lex pœnalis non est absolute relaxabilis: sive, absolute non ita subjacet libero Dei arbitrio (verba sunt Dn. Grotij pag. 59.) ut fontes vel punire, vel imponitos

punitos sine satisfactione dimittere posse.

Atque hic nisi me fallit conjectura, in gravem apud Theologos bonos, reprehensionem incurret Dn. Grotius, quod ipse Ictus magni apud omnes nominis, advocatum acturus fidei Catholicae, illud adversario suo Socino largitur, quod hactenus sincerorum Theologorum largitus est nemo. Liberalis sit Dn. Grotius erga adversarios suos in causis forensibus: in causis theologicis ultra quam justum & rectum est liberale esse, est veritatis causam prodere.

Volvit & evolvit Socinus plurimorum theologorum scripta, sed nullum reperit suo commento faventem, excepto solo Wolfgango Musculo magna autoritatis & eruditissimo viro, qui in locis communibus in hunc sensum scribit, quod scilicet Deus si voluntarie & pro beneplacito suo nemini absque satisfactione peccata possit condonare, minus juris ac libertatis habeat, quam creditor quispiam, qui cuilibet liberè pro velle suo sine minimâ satisfactione debitum remittere potest.

Ejusdem Musculi autoritate se munit Socini admirator D. Conradus Vorstius, cuius tota theologia ferè nil nisi lusus & jocus est: & à quo ego nihil desidero amplius, quā ut sibi ipsi anathema dicat, quatenus bona conscientia cum Davide in veritate & sinceritate gloriari non possit, Os fuit concors animo, sonusque sensui. Psalm. 17.

D. Vorstius tamen in hac quidē causa videtur Dn. Grotio lenior vel potius lenior. Ille enim necessitatē satisfactionis Christi dicit esse hypotheticam, h.e. pēdere à liberā Dei voluntate, non ab essentiali ejus iustitia, ita nimis ut Deus simpliciter quidem potuerit peccata absque satisfactione dimittere, licet hanc pro suo beneplacito intervenire voluerit. Dn. Grotius verò cum irrelaxabile dixisset esse vel absolutē vel ex hypothesis, neutrō modo legem papalem

irrelaxabilem dici posse statuit: adeoq; non vult vi divini  
beneplaciti necessariam fuisse satisfactionem Christi, ut lex  
pœnalis relaxaretur, seu pœnae peccatorum remitterentur.  
Neque hoc solum, sed legem pœnalem dicit positivam, que  
absolutè sit relaxabilis. Scire hic ego velim, quid hoc sit  
aliquid, quam quod Gittichius Socini discipulus scribit,  
satisfactionem pro peccatis nostris per pœnarum in se  
derivatarum solutionem respectu Dei impossibilem  
fuisse. Certè fuit impossibilis, si lex pœnalis absolutè  
ut inquit Dn. Grotius, fuit relaxabilis. Considerent hoc  
viri pij & docti, judicentque quam bene Dn. Grotius supra  
disputarit contra Socinum, Deum non considerari in satis-  
factionis negotio tanquam Creditorem, cum præcipuum  
fundamentum & scopum ex quo & in quem Socinus hic  
Deum ut Creditorem comparandum contendit, ipse non di-  
cam admittat, sed rationibus hinc inde conquisitis, aferat.  
Sed missam faciam controversiam hanc, an Deus nullà  
satisfactione acceptâ potuerit nobis peccata nostra  
condonare, pro quo Dn. Grotius dicit, An lex pœnalis  
fuerit relaxabilis? ubi de sententia Musculi pauca mo-  
nuero. Musculus vir magnus fuit, ab omni tamen erro-  
re non magis ac alij viri pij, liber aut immunitis. Ne-  
cessitatem satisfactionis Christi pro peccatis ipse sancte  
credidit: eam tamen non ex absolutâ Dei naturâ, sed libero  
decreto pendere existimavit: qui error tolerabilis est. Pace  
tamen tanti theologi, Musculum designo, hoc omnibus  
dictum & inculcatum velim.

Quod si Deus minus haberet libertatis in peccatorum  
remissione, quam Creditor in remittendo debito, propterea,  
quod peccata sine justitia & sua offensione condonare nequeat:  
sanè & in eo minus liber erit, qui bonus & verax existens,  
nullo pacto sine naturâ sua lesionе possit esse malus & men-  
dax,


dax, quomodo cunque etiam Dn. Grotius sudet distinguendo hic inter leges irrelaxabiles & relaxabiles. Causa hæc est: quia in utroque est eadem similitudo. Nam qualis in peccatorum remissione absque justitia Dei lesionem impossibilitas est, talis etiam planè Dœo inest in conversione bonitatis veritatisque ipsius in malitiam & mendacium.


Atque hæc sunt quæ in Defensione fidei Catholica summi & magnifici viri Dn. Hugonis Grotij notavimus. Si insuper ea omnia voluissemus persequi, quæ levioris astimari solent momenti, charta quam complicaveramus, nos defecisset. Sunt etiam non pauca in Defensione hæc Dn. Grotij, litem quæ inter Theologos nostros qui Remonstrantes & Contraremonstrantes appellantur concernentia, sed ea libens præterij. Spero enim futurum, ut Synodus, quam boni omnes precibus deposita, illa omnia commode suo tempore definit. Quod verò Dn. Grotium initio amanter petij, id ipsum hic in fine observanter repeto, ne videlicet graviter atque iniquo ferat animo, quod candidè judicium meum de libro ejus dixi. Feci enim illud, non ut gloriolam aliquam captarem, neque ut Dn. Grotium laudem: sed partim ut amicis quibusdam morem gererent, partim & precipue ut ecclesia inservirem. Faxis Deus ut ecclesia laboris hujus mei fructum aliquem metat. AMEN.


F I N I S.




L I B R E









TRANSLATION

OF THE HOLY BIBLE

1828



